

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Feria III. paschatos

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

## FERIA III. PASCHATOS.

*Evangelium Luc. 24 v. 36. -- 47.*

## EXORDIUM.

**C**Um Noa, præco ille justitiæ post diluvium columbam emisisset ex arcâ, ut videret, an jam cessassent aquæ super faciem terræ, illa venit ad eum ad vesperam, & ecce folium olivæ, decerptum in ore suo. Intellexit ergò Noë, quod cessassent aquæ super terram, Gen. 8. v. 10. 11.

Hanc historiam tam Veteres quam Recentiores Theologi ad Christum applicarunt.

1. Hæc Noë columba erat avis mansuetata, quæ à Noa capta & emissa & circa vesperam reversa est. Sic & Servator noster mitis & mansuetus est, ut ipse ait: Discite à me, quia mitis sum, Matth. 11. 27. Emittebatur quoque à Patre cœlesti. Ecce, inquit, venio, in volumine libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, Psal. 40. v. 10. A Judæorum cohorte capiebatur, Matth. 26. v. 50. & ad vesperam vitæ temporalis revertebatur ad patrem suum, ut ipse dicit: Nunc vado ad eum, qui misit me, Joh. 16. v. 5.

2. Columba Noë ex arcâ evolabat in campum, hinc & inde vagans dum circa vesperam reverteretur. Sic & cœlestis columba Christus Jesus aliquot distinctos volatus fecit. E cœlo, & è sinu Patris, in uterum Mariæ Virginis volavit, exinde in Bethlehem, ubi natus, hinc in Ægyptum, & inde Nazaretham. Pòst baptismum,

volatum fecit in desertum: tempore Ministerii hinc inde volavit per totam Judæam & Galilæam. E horto Gethsemane perducitur in Palatium Hannæ, inde in Palatium Caiphæ, hinc in Prætorium Pilati, inde in aulam Herodis, & hinc vicissim in Prætorium, donec ad crucem, & à cruce in sepulchrum, è sepulchro vicissim in terram, & tandem super omnes cœlos ad dexteram Patris sui se evexit.

3. Columba Noë non fœtida cadavera, ut immundus corvus, sed oleas virentes persecuta est. Servator noster Jesus similiter non delectatur peccatorum cadaveribus, quæ ipsi abominatio sunt, Prov. 15. v. 9. & horret, Hof. 6. v. 10. Sed ut Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, Hebr. 7. v. 26. Esa. 53. v. 9. Ita in innocentia, obedientia, & perfecta sua justitiâ, produxit fructus virentes & permanentes: & libentissimè conversatur cum piis, qui ut virentes oleæ in domo Domini germinant, Psal. 92. v. 15. Psal. 52. v. 10.

4. Columba Noë pòst diluvium in arcam revertebatur, ferens folium olivæ in ore suo: Sic & Servator noster piensissimus pòst diluvium sanguinæ Passionis circa vesperam diei Paschatos, ad discipulos suos redit, qui in domo, quasi in arcâ conclusi erant, & affert ore suo dulcissimo, folium olivæ gratissimum, PAX VOBIS, certissimo indicio, aquas iræ

divi-

divinæ fluctuantes, nunc cessare, & pacifice ipsum omnia per sanguinem crucis suæ per seipsum, Col. 1. v. 20.

Nos Instituti nostri memores, videbimus

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

J. J.

### Exegetis.

**P**li Veteres omnem diligentiam adhibuerunt, quo simplicioribus historiam Resurrectionis Dominicæ probè inculcarent; quâ de causa tres distinctas historias, quæ omnes uno die factæ sunt, populo explicandas ordinarunt: ut quomodo mulierculis primâ feria, discipulis Emaunticis feria secunda, & discipulis congregatis redivivum se exhibuerit tertia feria, publicè ad populum traderetur; quòd ita Magnalia Dei & ejus beneficia rectè expendere, & fructus resurrectionis Christi, qui sunt justitia & pax, singulis innotescerent.

Sicut igitur duas priores historias & apparitiones heri & pridè explicavimus, ita nunc operæ pretium nos facturos putamus, si tertiam quoque expendamus.

#### Querela respicit

I. *Spectrorum terriculamenta.* Dum Servator noster contra expectationem discipulorum subitò & inopinatò fores transit, & in medio discipulorum consistit, conterrentur illi, existimantes se Spiritum videre; hinc consolatur ipsos Christus, inquiens: Quid turbati estis?

Quòd spectra sint, id planè exploratum

est, tam ex Scripturâ, ubi expressè spectrorum, Sap. 17. v. 3. Tob. 6. v. 8. Matth. 14. v. 26. Marc. 6. v. 46. Satyrorum, Dæmoniorum & Ohim mentio fit, Levit. 17. v. 7. 2. Chron. 11. v. 15. Esa. 13. v. 20. quàm ex historia profanâ, nec non ex ipsa experientia rerum magistra. Sicut in specie existentia eorum, è prælecta Pericope sufficienter patet. Non enim modò Apostoli, Christo apparente, conterrentur, existimantes se Spiritum videre: sed & Christus ipse spectra existere, his verbis innuit: Spiritus carnem & ossa non habet, q. d. Si carne & sanguine carerem, causam haberetis, me tanquam spectrum horrescere: quia verò carne & sanguine præditus sum, certò hinc colligere potestis, me spectrum non esse.

Sunt autem spectra duorum generum, nonnulla boni, nonnulla mali Spiritus sunt. Illa spectra, quæ bona, ad Deigloriam & hominum salutem tendentia annunciant, boni Spiritus & à Deo missi censendi sunt, sicut visio, quam Eliphaz Themanites, & vir Macedo, quem Paulus in visione per noctem, viderunt, Job. 4. 14. Act. 16. v. 9. quando verò talia afferunt, quæ Deo ejusque verbo repugnant, & idololatriam aliaque peccata & flagitia stabilitum eunt, Spiritus maligni sunt, à Diabolo missi, imò Diabolus ipse, qui Pater mendacii & homicida est, Johan. 8. v. 44. cujus farina hodiè omnia spectra sunt.

Equidem non ignoramus, simpliciores, superstitione vel simplicitate præventos, aliter de spectris judicare, & illa animas defunctorum esse, opinari: sed hic error è Papatu irrepsit, in quo ille publicè ad-

struitur & defenditur. Quando verò Scripturam, tanquam unicam normam consulimus, illa nos instruit, spectra ejusmodi neque piorum, neque impiorum animas esse.

Non impiorum & damnatorum: sicut enim hæc viventes in infernum descendunt, Psal. 55. v. 16. exemplo epulonis, Luc. 16. vers. 22. ita illæ in inferno positæ sunt, mors depascit illas, Psal. 49. v. 15. ex quo nulla redemptio, Prov. 11. v. 7. Luc. 16. v. 26.

Non animæ è purgatorio, hoc enim figmentum est, quod Scriptura nescit. Minimè verò animæ piorum putandæ sunt, quæ nolunt ad vivos reverti, quod quoque in earum potestate situm non est, Luc. 16. v. 26. Justorum animæ in manu Dei sunt, ubi non tangit illas tormentum, Sap. 3. v. 1. in sinu Abraham, Luc. 16. v. 22. in Paradyso, Luc. 23. v. 43. custoditæ in fasciculo viventium, 1. Sam. 25. v. 29. & cum Domino semper, 1. Thesl. 4. v. 17. ex quo fundamento David de filiolo suo ait: Ego vadam ad eum; ille verò non revertetur ad me, 2. Sam. 12. v. 23.

Similiter neque Angeli boni sunt: etsi enim illi castra metantur in circuitu timentium Deum, Psal. 34. v. 8. attamen postquam fides consummata, & visio obfignata est, Apoc. 22. v. 18. 19. non per Angelos sed verbi Præcones nos instruit Deus. Habent Moſen & Prophetas, audiunt illos, Luc. 16. v. 29. Præterea neque mos bonorum Angelorum est, ut homines terreant, iisque pavorem incutiant, multò minus, ut contra verbum Dei in superstitione homines confirmant, quod ita Spiritus illi in Papatu faciunt.

Quia igitur spectra ejusmodi neque

boni Angeli, neque animæ defunctorum sunt, necessariò sequitur, Cacodæmonum præstigias ea esse, qui permissu Dei formæ hominum induti, ad homines terrendos, vel idololatriam & superstitiosa dogmata stabilienda comparent.

Caveamus proindè ne communicemus iisdem, multò minus fidem habeamus. Severè namque prohibuit Deus, nequamuram à mortuis veritatem, Deut. 18. v. 11. Esa. 8. v. 19. qui verò id fecerit, abominatio Deo est, Levit. 20. v. 27.

Sed & multis horror incutitur, quando spectra vident, vel de iis audiunt, ut nesciant, quid agere debeant, ut hæc in discipulis, simili in consternatione degentibus, videmus. Hoc verò indicium est, vel maleferiatæ conscientiæ, vel infirmæ fidei. Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim præsumit sæva perturbata conscientia, Sap. 17. v. 11.

Optimum igitur remedium contra terribilissima spectrorum est, ut studeamus sine offendiculo, conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper, Actor. 24. v. 16. vivamus in continuâ pœnitentia, apprehendamus promissionem de patrocínio Angelorum, Psal. 91. v. 11. sumentes scutum fidei, in quo possumus omnia tela nequissimi ignea extinguere, Eph. 6. v. 16. orantes omni tempore in Spiritu, l.c.

II. *Falsa de Christo imaginamenta.* Discipuli Christi imaginantur sibi Servatorem ut Spiritum terrotis, conterrentur super apparitione ejus, tanquam ad spectrum, & eo indicant, se dubitare de gratiâ ejus, quam fuga & infidelitate turpi amiserant,

serant; dubitare de veritate, quâ resurrectionem ipsis prædixerat; de omnipotentia, vi cuius ex mortuis resurgere poterat; de omniscientia, quâ solitudinem & conturbationem eorum exploratissimam sibi habebat; de omnipræsencia, juxta quam omnibus in locis præsens erat; de gloria corporis clarificati, quo omnes januas, vestes & seras perempere valet.

Sed non modò Apostoli, verum alii quoque ejusmodi opinionem sæpe de Servatore suo concipiunt, ut eundem velut spectrum, vel terculamentum sibi imaginentur, à quo nil nisi iram, indignationem & damnationem expectare possint.

Quod non tantùm à Pontificiis fit, qui merito ejus rejecto, vel opera sua articulo justificationis immiscere satagunt, vel B. Mariam tanquam fontem misericordiae salutant, & ab ejus ubertibus pendere non dubitant. Sed & inter nos non pauci reperiuntur, qui tempore tentationis Christum ut spectrum & Spiritum terroris sibi imaginantur, quando recordantur magnitudinem & multitudinem peccatorum, quibus Christum offenderunt, quasi meritum ejus nihil ad se attineat, non sufficiat, seque planè à gratiâ ejus abjectos esse.

Quot de veritate ejus dubitant, utrum promissiones ejus ad se pertineant, & illas in se implere velit? Quot de Omnipotentia? quot de Omniscientia! quot de Omnipræsencia dubitant, vel tantùm non desperant?

Verùm mi Christiane! quando Diabolus tela hæc ignita in cor tuum torquet, confortare in Domino, & in potentia vir-

tutis ejus. Indue armaturam Dei, ut possis stare adversus insidias Diaboli, Eph. 6. v. 10. 11. resiste illi solidus in fide, 1. Petr. 5. v. 9. dicens: O Satana! optimè novi te. Tu Spiritus terroris es, non Jesus meus! Hic non spectrum, non Spiritus pavoris, non irreconciliabilis judex & vindex, non Spiritus mendax est, sed Jesus & Salvator meus, Matth. 1. v. 21. Deletor iniquitatum mearum, Esa. 43. v. 25. propitiatorium meum, Rom. 3. v. 25. propitiatio mea, 1. Joh. 2. v. 2. quâ de gratiâ ejus desperarem, cum tamen traditus sit propter delicta mea, & resuscitatus, propter justificationem nostram? Rom. 4. v. ult. quomodo de promissionibus ejus ambigerem, cum veritas ipsa sit? Joh. 14. v. 6. Cur de Omnipotentia ejus, ubi potestatem habuit ponendi animam, & potestatem habuit, iterum sumendi eam? Joh. 10. v. 18. quare de sapientiâ ejus, cum in ipso omnes thesauri scientiæ & sapientiæ absconditi sint? Col. 2. v. 3. cur de præsentia gratiæ, cum promiserit se mecum futurum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi? Matth. 28. v. 20. & cur eum horrescerem, qui omnem animi perturbationem, pusillanimitatem omnem ex animis propulsat, inquit: Quid turbati estis? & se ut Consolatorem & Salvatorem exhibet.

III. *Fastidiosorum auditorum deliramenta*, quæ Christus hoc ipso infringit, & redarguit, quod in utraque apparitione, & Emanantica, & Hierosolymitana de unâ eademque materia, nempe de morte & resurrectione sua concionatur, & vaticinia Moysis & Prophetarum, quæ de illa agunt, ipsis explicat.

Multi Auditorum nostrorum Atheniensium genio præditi sunt, qui ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi, Act. 17. v. 21. Quodsi singulis diebus novus Ecclesiastes in suggestum ascenderet, & anapullas atque sesquipedalia verba projiceret, vel Pastores ordinarii amœnas historias, faceras fabulas & quæ auribus jucunda sunt proferrent, hos procul dubio admirarentur, atque in deliciis haberent homines: quia verò simplicitati studentes, nihil sciunt, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum, 1. Cor. 2. v. 2. nec piget eadem inculcare, Phil. 3. v. 1. & fidei semel Sanctis traditæ mentionem facere, Jud. v. 3. pro tautologis illi habentur, qui eadem prædicantes Auditoribus nauseam pariant. Hi prurientes auribus sunt, ut Paulus eos vocat, 2. Tim. 4. v. 2. qui ad exemplum Israelitarum peccant, qui tædio afficiebantur Mannæ, quod Deus ipsis de cælo mittebat, & panis Angelorû nominatur, Psal. 78. v. 27. unde sine propudio dicebant: Anima nostra jam nauscat, super cibo isto levissimo, Num. 21. v. 5.

Sicuti verò nausea ista Israelitis malè cessit, siquidem Deus missis serpentibus ignitis contemptum vindicavit, ut morsu eorum necarentur aliquot millia; Ita certè Deus justissimus auditores ejusmodi tædiosos, qui verbum ejus sanctissimum, in quo tamen vivitur, & in quo vita Spiritus nostri est, Esa. 38. v. 16. ceumanna spirituale, & panem Angelorum spernant, non impunitos sinet. Quin & anima ejus super illos, tanquam prævaricatores vanissimos, Psal. 25. v. 3. nauscabit, immissurus illis serpentes ignitos, ignem belli, ignem pestilentialem, & ignem exiti;

maximè verò serpentes ignitos tanquam stimulos conscientiæ, & ignem infernalem, ubi vermis eorum non morietur, nec ignis eorum exstinguetur, Esa. 66. v. 24.

Quilibet proindè verbi contemptum studiole caveat, ne certissimam penam incurrat: quodsi enim verbum Dei ejusque iterata repetitio utilis non foret, Christus, ut Doctor eruditæ linguæ ea ulus minus fuisset.

### De Secundo.

**S**equitur *Medela*, quæ fuit **I. Ex iterata Christi apparitione.** Postquam enim ille è mortuis resurrexit, quadraginta illis diebus ante ascensum suum in cælos, subinde discipulis suis & fidelibus se exhibuit. In specie verò die Paschatos mane apparuit sanctis fœminis: post meridiem Cleophae ejusque comiti: Vesperi verò reliquis Apostolis, Hierosolymis congregatis & conclusis.

Unde non exigua consolatio nobis resultat. *Primò* enim hoc ipso confirmatur Atticulus de resurrectione ejus, quo de justitia nostra & plenaria propitiatione cum Deo certiores reddimur, Rom. 4. v. 25. cui nostra resurrectio annexa est, ut ipse testatur, inquit: Ego vivo & vos vivetis, Joh. 14. v. 19.

*Secundò.* Conturbati discipuli non modo efficaci solatio eriguntur hac Christi apparitione, de quo omnem spem abjecerant: sed & nos certissimi reddimur, si & nos Jesum nostrum diligamus, & desiderio ejus flagremus, quod nos ophanos non derelicturus, sed in maximis calamitatibus nobiscum futurus sit, vi promissionis, Psal. 91. v. 14, 16.

*Tertiò*

*Tertio.* Triplici hæc apparitione Christi, præfigurata est gratiosa ejus apparitio respectu fidelium in his terris. Ut enim mane, post meridiem, & vesperi suis apparuit die Paschatos: Ita quoque hodiernus nobis præsto est,

1. *Mane in vita ingressu*, in baptismo, ubi secundum misericordiam suam salvos nos facit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, Tit. 3. v. 5.

2. *In meridie & progressu vite nostræ*, in Ministerio verbi, juxta quod nobiscum esse vult, usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. 20.

3. *Vesperi in vita egressu*, in hora mortis & extremo judicio, quæ ultima apparitio lætissima & beatissima erit, ubi liberat nos ab omni malo corporis & animæ, & salvos facit, in Regnum suum cælestis, 2. Tim. 4. v. 18.

II. *Ex pacis restitutione.* Prima vox ejus, qua mæstos discipulos alloquitur, est, Pax vobis! quo omnimodam ipsis salutem apprecatur, instar blandissimi patris, qui è peregrinatione domum redux, filios suos salutat, & variis donatiis oblati, cum illis se oblectat.

Id ipsum facit Christus Servator, æternus noster Pater, Esa. 9. vers. 6. is aliquot dies à discipulis, quos filiolos suos appellat, Joh. 13. v. 33. per tenebrosam mortis vallem in sepulchrum profectus erat: Remans igitur ad filios suos, humaniter eos salutat, exhilarat præsentia sua gratiosa, distribuitque illis donarium, quod pax est. Pax vobis! hoc est, affero vobis pacem. Qualem pacem? non externam & terrenam: Sed spiritualem, internam, divinam conscientie pacem; quomodo ipse eam

explicat, dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis, Joh. 14. v. 24. propterea hæc pax, pax Dei vocatur, quæ exuperat omnem sensum, & custodit corda nostra, & sensus nostros, Phil. 4. v. 7.

Per lapsum Adami inimici Dei, Rom. 5. v. 10. & natura filii iræ facti sumus, Eph. 2. v. 3. peccata enim nos & Deum nostrum diviserunt, Esa. 59. v. 2. hinc maledictione legis nos devovit, Galat. 3. v. 10. Deut. 27. v. 26. Diaboli potestati nos permisit, Joh. 8. v. 44. & morti nos tradidit, quæ stipendium peccati est, Rom. 6. vers. 23. nec non æternæ damnationi, Apoc. 21. v. 8. 2. Thess. 1. v. 9.

Verum ex mera gratia nostrum misertus, donavit nobis Filium, cum adhuc inimici essemus, Rom. 5. v. 8. qui vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, Esa. 35. v. 5. Pacem habemus supra nos cum Deo, Rom. 5. vers. 1. Col. 1. v. 20. Pacem in nobis, Joh. 16. v. 33. Rom. 8. v. 1. Pacem extra nos, 1. Cor. 4. v. 12. Rom. 5. v. 3. Pacem circa nos, Act. 4. v. 32. 2. Cor. 13. v. 11. Pacem infra nos, Os. 12. v. 14. Pacem hinc temporaliter, & ibi in æternum, Esa. 32. v. 18.

III. *Ex Evangelica concione,* de quâ Christus: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus, penitentiam & remissionem peccatorum, in omnes gentes.

Hic egregius resurrectionis Christi, & antecedentis passionis fructus, quod hominibus, sub onere peccatorum & iræ divinæ decumbentibus, & usque ad infernum depref-

depressis annunciat: 1. *Medium*, quo gratiæ Dei, & efficaciam meriti Christi compotes fieri possunt, quod nihil aliud est, quam pœnitentia, cujus partes sunt contritio, fides, & nova obedientia. Quam infelices igitur Diaboli sunt, qui salutari hoc medio destituuntur, & sine spe salutis damnationi addicti sunt: tam felices nos è diametro sumus, quibus gloriosissimus Servator noster, pœnitentiam annunciarum finit, per quam enormis peccator Manasses remissionem peccatorum consequitur, Manass. Orat. vers. 2. Felicissimi verò sumus, si pœnitentiam non modo audiverimus prædicari, sed & fecerimus. Hæc prima resurrectio est. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, Apoc. 20. v. 5. 6.

Non verò tantum pœnitentia prædicatur, sed & 2. *Remissio peccatorum* in nomine Jesu Christi. Quid enim proderet peccatori, quod ille pœnitentiam ageret, si non & remissionem peccatorum acciperet, & in damnatione remaneret? Sed hinc ex ore dulcissimo Servatoris nostri audimus, quod pœnitentia, & remissio peccatorum arctissime unita sint: & peccator serio de peccatis dolens, in Christum credens, & fructus pœnitentia dignos ferens, cum Deo per Christum reconciliatus, & omni peccatorum reatu absolutus sit. Id quod exemplo prodigi filii, sole meridiano clarius elucescit, Luc. 15. v. 18. seqq.

Sed quid proderet mihi, si pœnitentia & remissio peccatorum Petro, Paulo,

& reliquis Apostolis, non verò mihi in specie annuntiaretur? Hoc modo Christi passio & resurrectio parum mihi proderent. Ergò hic Christus in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes prædicari jubet, ne quis dubitandi locus superesset. Non enim personarum acceptor ille est, Act. 10. v. 34. & conclusit omnia in incredulitatem, ut omnium misereatur, Rom. 11. v. 32. Si igitur vel maximus peccator in mundo essem, tamen pœnitentia & remissio peccatorum ad me pertinent.

### De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt,

1. *Scriptura fundamento nitere*. Quando Christus de passione & resurrectione suâ discipulis prædicat, ablegat eos ad Scripturas & fundamentum fidei illis ostendit in scriptis Moïsi & Prophetarum, & tandem ita concludit: *ὅτι γίνεσθαι*.

Quotiescunque igitur articulus fidei in controversia versatur, tu horum verborum remiiscere. Quod si Pontificii justitiam propriam, & operum meritum adstruere satagunt: tu dic: *ὅτι γίνεσθαι*: Nisi abundaverit justitia vestra plus, quam Phariseorum & Scribarum, non potestis ingredi in Regnum cælorum, Matth. 5. v. 20. Luc. 17. v. 10. Eph. 2. v. 8. 9.

Quando invocationem Sanctorum stabilitum eunt, similiter ai: *ὅτι γίνεσθαι*: Dominum Deum tuum adorabis, & illi



illi soli servies, Deut. 6. v. 13. Matth. 4. v. 10. Apoc. 19. v. 10. c. 22. v. 8.

Quando calicis prohibitionem defensori sunt, iterum dic: *Ἔτω γέγραται*, Accipite, & comedite, hoc est corpus meum: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus. Et biberunt ex illo omnes, Matth. 26. v. 26. 27. Marc. 14. v. 23.

Quod laicus Scripturam interdicit, regere iterum: *Ἔτω γέγραται*: Scrutimini Scripturas, illæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de me, Johan. 5. vers. 39.

Sic in omnibus fidei controversis tanquam ad sacram anchoram confugere potes, cum Petro dicens: Habemus firmiter sermonem Propheticum, cui rectè facimus attendentes, 2. Petr. 1. v. 19.

Pari modo, quando Diabolus mundus & caro te ad peccata, superstitionem, dubitationem, desperationem, pusillanimitatem, impatientiam, & inobedientiam instigare volunt, hoc, *Ἔτω γέγραται*, amplectere. Ita scriptum est: ita Deus in verbo suo præcepit, ita vitam meam instituam. Hoc verò prohibuit, hoc omittam. Hoc mihi promisit, hanc promissionem amplectar, nec unquam latum unguem ab ea recedam.

II. *Mæstos consolare.* Hoc sine inter alia Christus apparet, ut discipulis in angore constitutis tristitiam eximat, & consolatione eosdem reficiat, quod verbis amicis, blandis gestibus & operibus amotiferis abundè fecit, ad nostram instructionem, ut & nos sollicitas mentes salutari solatio erigamus: idque

1. *Illos in miseria visitando*, quod amici Jobi fecerunt, qui audientes omne ma-

lum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, ut visitarent eum, & consolarentur, Job. 2. v. 11.

2. *Verbis amicis compellendo*, & solatium ex verbo Dei suggerendo, quod lætificat animas, Psal. 19. v. 8. sicut David experientia edoctus confitetur, Psal. 94. v. 19. Psal. 119. v. 90. 92.

3. *Blandis gestibus & operibus illis obviando*, ut illos pro te nata in convivium adhibeamus, manus & pedes illis ostendamus, per promptum auxilium & obsequium, quod Jobum fecisse legimus, qui verè de seipso gloriori potest: Si negavi, quod desiderabant, pauperibus, & oculos viduæ deficere feci, Job. 31. vers. 16. seqq.

III. *Christi corpus resuscitatum intueri.* Christus inquit ad discipulos suos: Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum.

Sicut igitur Servator noster fundamentum resurrectionis nostræ est: Ita & nos in generali resurrectione easdem manus, eosdem pedes & membra recuperabimus, quæ hic habuimus, eodem quoque corpore vestiemur, quo hic vestiti fuimus, ut dicturi simus: Ego ipse sum, videte manus meas, & pedes meos.

Videamus proinde, ne regnet peccatum in mortali nostro corpore, ut obediamus ei, in concupiscentiis ejus: neque exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo, Rom. 6. v. 12. 13. Ne aliquando manus & pedes nostri ruborem incutiant nobis dicturis: Ego ipse sum, ille idololatra, blasphemus, execrator, sabbathi prophanator, latro, homicida, adulter, fur, avarus, calumina-

tor

rot, &c. Hæ manus furiferæ sunt, quibus metam justitiæ supergressus, hi pedes nefarii, qui in tenebris ambularunt, ad varia scelera perpetranda. Qua ratione pessimè audiemus: Sed ut manus & pedes, imò totum corpus confidenter exhibere possimus, dicentes: Hæ manus sunt, quas noctes diesque ad Deum piis precibus elevavi, quibus bona operatus sum, & quas proximo meo aperui. Hi pedes, qui sapissimè in ædem Domini ad

cultum Deo litandum me pertulerunt. Hoc corpus meum, quod afflictum crucifixi, quò maneret templum Spiritus sancti: imò ego ipse sum, qui Christo fidelis fui usque ad mortem, propterea nunc mihi reposita est corona vitæ, Apoc. 2. vers. 10. Hæc laus insignis erit! Beati erimus si eâ inclarescemus, quod fiat per CHRISTUM JESUM, Dominum nostrum, Amen.

## IN DIE FESTO PHILIPPI ET JACOBI.

*Evangelium Joh. 14. v. 1. -- 14.*

### EXORDIUM.

**D**E Mose, inclyto Heroë fidei refert Paulus, quod grandis factus, negaverit se esse filium filia Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalem peccati habere jucunditatem: majores divitias æstimans thesauris Ægyptiorum improprium Christi: adspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus ferociam Regis: invisibilem enim, tanquam videas, sustinuit, Hebr. 11. v. 24. & seqq.

Sicut igitur Moses multis aliis in partibus: sic & hac in parte typus Christianorum fuit.

Mundus nihil aliud est, quam spiritualis Ægyptus, in qua filii filia Pharaonis, hoc est, filii hujus seculi, Luc. 16. vers. 8.

qui terrena sapiunt, & quorum Deus venter est, Psal. 31. vers. 19. magna in dignitate & gloria vivunt, gaudent omnium rerum affluentia, in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur, felices sunt in seculo & obtinent divitias, Psal. 73. v. 5. 12. unde omnium applausu felices existimantur, audientes: Beatum populum cui hæc sunt, Psal. 144. vers. 14. Contrà filii lucis, Luc. 16. v. 8. variis tribulationibus subjecti opprobrium Christi sufferrecoguntur, & ferociam Principis hujus mundi, Joh. 14. v. 30. quia non de mundo sunt, sed elegit eos Christus de mundo, Joh. 15. v. 19. flagellantur totâ die, & castigatio eorum in maturinis, Psal. 73. v. 14.

Nihilominus fides in illis prævalet: hæcui